

uti ab illo repeteret dominium indebitę subiectionis. Utque imminente, patris Benedicti sollempnitate ad Floriacum veniret, absque illius permissione, quod cautum tenetur apostolici privilegiı sanctione, suadendo coegit et efficere fecit. Que res non ei prospere cessit. Siquidem villam ingressus cum secularis potentię apparatu, burgensium¹⁾ clamor exoritur, nondinę turbantur, sanctus usquequaque invocatur Benedictus; episcopus in fugam vertitur, multi fustium ictibus ad necem pene usque delentur. 13. Huiusce modi controversiam, a primatibus Gallię compertam, regis presentia decernunt examinandam, quo duo maxima sanctę ecclesię luminaria inter se quodam modo dissidentia ad fraternę pacis redirent foedera. Cui concilio intererat Leterius, Senonensium²⁾ metropolitanus, nostrę parti contrarius, clericorum fautor in omnibus. Quid plura? Res in medium agitur, iudicium diligenti diiudicatione discutitur; nostri nullius culpę noxa tenentur, proditur etiam Romani pontificis decretum, quo continetur insertum, ne quando antistes Aurelianensium ad Floriacense presumat venire monasterium, nisi rogatu abbatis et omnium eiusdem loci expostulatione monachorum; in omnium auribus legitur, coram astantibus distincte recitatur. Extemplo pars adversariorum in iram sustollitur; Romani presulis scriptum spernendo violatur, infirmatur, ignibusque tradere minantur, si quando illud possent corripere manibus, talique modo ab invicem disceditur.

14. Rescito hoc, papa Iohannes, relatu Petri unius cardinalium apostolicę sedis, qui huic forte interfuerat conventui, superborum turbatus iniuriis, huius modi epistolam ad Rotbertum regem dirigit³⁾: Iohannes episcopus⁴⁾ servus servorum Dei, precellentissimo Francorum regi Rotberto, aeclesiastici honoris vigorem. Olim, fama vulgante, vestram, precellentissime regum, aeclesiasticum honorem comperimus diligere atque tenere excellentiam, ex qua re necesse est ut si aliarum aecclesiarum honor a vobis excolitur, eam quae omnium caput est, tanto amplius honoretis, quanto constat reliquas ab ipsa exordium sumpsisse. Comperimus autem quosdam episcoporum vestri regni auctoritatem sedis apostolicę, quam in Romana urbe beatus Petrus suis tribuit successoribus, adeo contemptui habere, ut nullatenus se observaturos dicant. Quam contumaciam in transalpinis nos audientes fore episcopis, et minime credentes, misimus fratrem et coepiscopum nostrum Bipernensem⁵⁾ antistitem, ut rei veritatem agnosceret. Qui se quidem a vobis honorifice susceptum et diu humanissime tractatum asseruit, a Gallicanis vero episcopis se iniuriatum asseruit, dum in sui presentia auctoritatem sanctę Romanę aeclesię despici audivit. Nos ergo pro susceptione fratris vestrę excellentię gratias agimus. Miramur autem vestram magnificentiam

1) So verbessert der Corrector aus: Burzensium. 2) So verbessert der Corrector aus: Sennensium. 3) Jaffé, Reg. 3027. 4) episcopus fehlt in der Hs. 5) Delisle konnte sonderbarer Weise dieses Bisthum nicht ausfindig machen und schloss auf Bitetto (Bitectensis). Es ist natürlich Piperno (Pivernum) zeitweise mit Terracina und Sezza vereinigt; damals aber selbständig. 1010—1036 unter Bischof Petrus.